

**Ioannes Ludovicus Prasch**

**‘Tullia’**

Tragoedia  
(1667)



Jan-Wilhelm Beck  
Institut für Klassische Philologie  
Lehrstuhl Lateinische Philologie  
Universität Regensburg  
Universitätsstraße 31  
93040 Regensburg  
November 2011

## Argumentum

Lucius Tarquinius, cui postea Superbo additum nomen, filius Tarquini Prisci, gener Servii Tullii, Regum Romanorum, architectante Tullia uxore - interemtum enim prioribus coniugibus, Tullia minore et Arunte Tarquinio, iunxerant matrimonium - variis artibus dominationem captans, ad extremum curiam occupat, Socerum praecipitat obruncatque, exanime corpus, per quod Tullia carpentum egerat, sepultura prohibet; auctoribus praecipuis Dionysio Halicarnassensi, lib. IV., et Livio, lib. I.

Kurzer Inhalt dieses Trauer-Spiels / TULLIA genannt.

Lucius Tarquinius, welcher nachgehends auch Superbus - das ist, gründlicher Dolmetschung nach, Tyrann - genennet worden, beeder Römischer Könige, Tarquini Prisci und Servii Tullii, respective Sohn und Eydame, nachdeme er, auf Eingebung seiner hochmüthigen Gemahlin Tullia - dann sie hatten ihre vorige Ehegemahl, die jüngere Tulliam und Tarquinium Aruntem, vom Brod gethan und sich also einander geehlicht - allerley Räncke versucht, zur Cron gelangen, bemächtigt er sich letztlich des Rath Hauses, stürzt seinen Herren und Schweher von dar herunter, läßt ihn gar entleiben und verbeut den verblichenen Körper, über welchen ehbemelte Tullia mit ihrem Wagen zufahren sich nicht verabscheuet, zur Erden zubestatten.

### Actus I.

Sub fictitia Tyrannidis persona interiorem facti causam, rationem atque scopum et actorum et agendorum partem strictim indicans, in mediam rem spectatores rapit.

### Chorus I.

Execratur Tyrannidem.

### Interludium I.

Laetitiam messorum, Etruscarum artium exagitationem, dirum prodigium continet.

In der 1. Handlung wird, unter der Tyrannen Person und Vorbild, die eigentliche Ursache, Gestaltsame und Zweck dieser Unthat, auch ein Theil dessen, so albereit vorher gegangen und noch folgen soll, mit wenigem angezeigt und also der Anfang dieses Trauer-Spiels, mitten aus der Sach heraus genommen.

Der 1. Chor vermaledeyete die Tyranny.

In der 1. Nebenhandlung wird der Schmitter Frölichkeit, der Hetruerier Aberglaub und ein Abentheuer, so das bevorstehende Unheil bedeutet, vorgestellt.

## Actus II.

Hortationes et consilia maturandi facinoris inprimisque occasionem et spes metusque sceleratorum coniugum proponit; in Sp. Lucretio et Tarq. Collatino ad futura ominibus alludit; obortis impedimentis, ex narratione servi de incenso Fortunae templo solaque Tullii statua lignea non exusta aliisque, consilia turbat ac negotium trahit.

## Chorus II.

Ex antecedentibus divinam Providentiam colligit et factum interpretatur.

## Interludium II.

Fortunam Virilem, cuius templum arserat, introducens, alterius Fortunae templum occupare conantem, deos Gentilium ridet.

In der 2. Handlung ist entworfen, was obbedeutte Ehleuth zu Beschleunigung der Sach einander zu Gemüth geführt, ingerathen und, zumal für eine Gelegenheit abgemerckt, auch dabey verhoffet und im Gegentheil befahret; item, was sich bey dem Ritter Lucretio und jungen Tarquinio Collatino für Zeichen fansstiger Ding erweisen; item wie durch eines Knechts Erzählung - was gestalten nemlich der Glücks Göttin Tempel ab und allein des Königes Servii Bildnus darinn nicht gebrunnen, auch anders mehr - das böshafftige Beginnen unverhofft gesteckt und das Werck verzögert worden.

Der 2. Chor schleußt auß dem vorhergehenden die Göttliche Vorsehung und Deutung solcher Geschicht.

In der 2. Nebenhandlung trachtet die Fortun, dero Tempel abgebrunnen, der andern Fortun Tempel einzunehmen, womit dann der Heyden Götter verlacht werden.

## Actus III.

Luctatur cum impedimentis; novoque interveniente casu, quem oratio Titi, Senatoris Romani, conspiratorum haud postremi, docet, desperantibus animum restituit et iracundiae stimulis propositum urget.

## Chorus III.

Incommoda, quae perpessa est Roma a feminis usque ad Tulliam, et huius genium ac scelera enarrat.

## Interludium III.

Rudem poetam satyrico sale defricat.

In der 3. Handlung werden die eingefallene Verhindernussen mehrers erwogen, auch, wie sie zu heben, gesucht; und nachdeme sich ein neuer Fall ereignet - inmassen Titus, ein Römischer Raths Herr, der vornehmsten Conspiranten einer, davon mehrere Anzeig thut -, wird den beiden so bereits an der Sach verzweifelten, widerum ein Muth gemacht und dero Vorhaben, mittelst ihres gefaßten Zorns, befördert.

Der 3. Chor erzehlt das Ungemach, welches Rom biß auf selbige Zeit von Weibern erlitten, wie nicht weniger der Tullia Humor und Übelthaten.

In der 3. Nebenhandlung wird ein ungelehrter Poet aufgeführt.

## Actus IV.

Ad effectum consilia admovet, instrumenta ac symbola regni expedit, invasione curiae opus inchoat Regique Tullio de rep. commentanti nuntiat et Tulliam ad horrendum facinus accendit.

## Chorus IV.

Hominum, regni, Servii fata deflet eiusque virtutes et gesta percurrit.

## Interludium IV.

Satellites Tarquini, in curia morantis, aniculas despoliare in foro facit, ridiculo exitu.

In der 4. Handlung wird zum Werck selbst geschritten, der Königliche Zierrath und Rüstung an die Hand geschafft, das Rathhaus gewaltigerweise eingenommen, dem König Tullio, als er eben Reichs Händeln nachdachte, solches hinderbracht und die Tullia zu obangeregter schrecklichen That veranlasset.

Der 4. Chor beweinet der Menschen und Könige, insonderheit deß Servii Zustand und durchgeheth seine lobwürdige Thaten.

In der 4. Nebenhandlung werden des Tarquini Trabanten, so etliche Baurenweiber auf dem Markte, als ihr Herr im Rath war, zu plündern sich unterfiengen, bezahlet.

## Actus V.

Impulsoris Titi poenitentiam ac poenam exhibet et Tarquiniae viduae, mala sua deploranti, qua funesta et execrabilia fratris mandata, qua totam intus, ut oportet, peracti sceleris seriem, exponit.

## Interludium V.

Fortunae priori templum iniuste adiudicans, in saltationem et cantilenam desinit.

In der 5. Verhandlung wird des Anstifters Ziel erfolgte Reu und Bestrafung abgebildet und der königlichen Wittib, Tarquinia, in dem sie ihren trübseligen Zustand betrauret, theils ihres Tyrannischen Bruders leidiger Befehl, theils der inwendig darinn verbrachten Mordthat völliger Verlauf, geziemender massen, eröffnet.

In der 5. Nebenhandlung wird obgedachte Fortun des mit Unrecht gesuchten Tempels vollends mächtig und mit einem Dank und Lied beschlossen.

## Syllabus Personarum

Tarquinius  
 Tullia  
 Titus  
 Servius  
 Spur. Lucretius  
 Collatinus puer  
 Tarquinia  
 Tyrannis  
 <Nuncius>

Comitatus Tarquini	(Illustr. et Generos.)	6
Comitatus Servii	(Illustr. et Generos., Generos., Nobil.)	5
Servi Tarquini		4
Mulieres Romanae	(Generos.)	9
Ephebi	(Illustr. Gener., Generos.)	9
Lictores		12
Furiae		3
Vmbrae		2

## Chorus Romanorum

## Personae Interludii

Messores		4
Fortunae		2
Poeta		
Servus Tarquini		1
Aniculae		4
Satellites		3
Musici		9

## Actus primus

Tyrannis

Tyr. Iunonis iterum regiae supplens vicem  
Regia Tyrannis, clara stirps Superbiae,  
Odi Metusque mater, Eumenidum comes,  
Pro lege cui libido, pro meta est malum,  
Inimica prisci moris, artium fuga, 5  
Opum barathrum, machinatrix criminum,  
Insonte semper civium tabo madens,  
Ab sede furua immitis adsum Tartari.  
Ego in parentum guttur acuo liberum  
Sicas et arma ferre fratres mutua 10  
Hortor, diremto sanguinis nexu sacro.  
Scelere et ruinis cuncta foedans, denique  
Proprios clientes exitu mergo gravi.  
Tu, Roma, testis: cuius in lato sinu  
Per me iacet mucrone fraterno Remus 15  
Et frater ipse, quem Patrum secuit furor  
In frustra centum, et patrium Lucumo genus  
Qui duxit Ephyra, matre Tyrrhena - vocant  
Priscum Quirites -, regna quem nactum prece  
Vi depulerunt regis Anci poster. 20  
Eadem replevi caedibus Tullii domum.  
Sed haec iocus putentur, haec primordia.  
Nondum coaluit intimis venis lues  
Prorsus recepta; perferunt aures adhuc  
Regale nomen. proinde nunc compareo - 25  
Id quando praepotens iubet Saturnia,  
Hostis Quirini, dum Tyriis rebus timet -,  
Infanda celeri ut orsa pertexam manu.  
Somno iacere Tulliam lentam reor  
Priscoque natum, penitus oblitos sui, 30  
Post copulatas scelere casso nuptias;  
Adeo recentis sceleris auditur nihil.  
Exsuscitanda ignava plagis pectora  
Stygiisque tedis, mulier inprimis ferox.  
Addenda cineri flamma, nequitiae furor. 35  
Cupio videre nemini visum nefas,  
Orbi stupendum, maius humana fide,  
Quod barbaras Amulii noxas levet  
Piosque faciat parricidas pristinos.

En, erit, ut imis summa praeceps misceam? 40  
 Vt laeta pressae lacrymas Romae bibam?  
 Artesque saevas, densa Patrum funera  
 Dirasve sordes, imminuta munia,  
 Leges peremtās, sanguinantes indices,  
 Poenasque ditium et labores pauperum 45  
 Belloque pacem tristiore conspicer?  
 Sed cesso vecors agere potius quam loqui?  
 Non vana vota postulat rerum dies.  
 Laetare, dextra: iam togatorum dabis  
 Strages fluesque tota rivis sanguinis: 50  
 Velabis ostro Tullium regem novo.  
 Ensis, triumphā: opima messis imminet.  
 Ad crimen atrox rapite me, citi pedes.  
 Sitit cruorem pectus, undat ignibus,  
 Quantos Veseui non vomuit unquam specus. 55  
 Ego futurum gentis indomitae decus.  
 Feret perennem nomine infami notam  
 Et ipsa per se robur imminuet suum.  
 Qui sint Tyrannidi doli, quae vis, adhuc  
 Si Roma felix nescit, hinc iam sentiet. 60

## Chorus

Cho. Quis te, prodigium triste, Tyrannida,  
 Peius tergemino Persephones cane,  
 Gaudens innocuum lambere sanguinem  
 Et carnes tremulas mandere civium,  
 Damnatum Stygio carcere, protulit 65  
 Auras in superas? quo duce, ferreis  
 Laxatis manicis, fatigero ruens  
 Terras Ausonias carpis acinace?  
 Puris cede locis: desere regiam  
 Urbem. heic et pietas, quam sacer intulit 70  
 Nocturnis monitis Egeriae Numa  
 Et coelo superi posthabito dii,  
 Heic et cana fides et roseus pudor  
 Et legum timidus cultus et aurea  
 Libertas habitat rege sub optimo. 75  
 Nescimus dominum, suspicimus patrem;  
 Et regnum ferimus, sed moderabile.  
 Ad saevos potius Thracas et horridi  
 Gradivi patriam te refer aut Daas  
 Aut orae Libycae monstra vel, impia 80  
 Quod Medea parens nobilitat solum,

Aut Calpen procul hinc; aut iterum caput  
 Infaustum Stygiis conde paludibus.  
 Quid das exitio, terra, locum tuo?  
 Laxos pande sinus, qua tumidos gradus 85  
 Infert terribilis bellua; pandite  
 Et vobis Furiam reddite, Taenara,  
 In vos ne redeat, quem facitis, metus.  
 Quis primus socii foederis immemor  
 Infernumque negans et superum Iovem 90  
 In cives proprios expedit manus  
 et sontem gladium, non ita creditum?  
 Primus quis miseros iuribus exuens,  
 Quae nequis raperet, vis data regibus,  
 Servili domuit colla ferus iugo 95  
 Exemploque suo praedominantium  
 Subiecit rabidae cuncta cupidini?  
 Illius facinus non satis ultima  
 Albani Metii poena piaverit,  
 Quem tractum geminis partibus orbita 100  
 In mundi totidem distribuit plagas,  
 Effusis medio visceribus loco -  
 Invenisse malum creditur Hercules -,  
 Nec vulnus Tityi, pondera Sisyphi  
 Aut, quae circumagunt munia Belidas; 105  
 Ludo res propior, quicquid et impia  
 Cogit facta pati, cogere vel potest,  
 Regis Cnossiacci lex adamantina.  
 Vrbes ut regerent et superum metus  
 Et concors amor et vis sapientiae 110  
 Obnixura malo iustaque lenitas,  
 Defendens populis otia subditis  
 Et pleno gremio munera seminans,  
 Regnum terricolum gens sibi repperit,  
 Non ut serva suis luctibus et bonis 115  
 Foedas Harpyias crescere cerneret.



## Actus secundus

Tullia, Tarquinius

- Tul. Nunc omnis, age, molesta tollatur mora  
Soporque segnis et dubiis aptus timor.  
Quod cupio, certum est: plana se pandit via.  
Obex remotus omnis, omnes murices, 120  
Qui regiam stravere nobis hactenus.  
Advenit avidis ultimus votis dies,  
Quo vel cadam vel scepra gestet haec manus.
- Tar. Effare, quidnam pectus excelsum subit?
- Tul. Quod deerat unum, nullus ex vulgo est metus: 125  
Secessit hostis.
- Tar. nullus ex vulgo est metus?  
Quod me poposcit nuper ad diram necem  
Pravaque socero scepra firmavit fide?
- Tul. Adverte curas et, quid agitem, percipe. 130  
Postquam resecta falce lunata Ceres  
Incubuit agris, tuta poscens horrea,  
Et aureos excrevit in montes solum,  
Condenda messis omne nunc vulgus tenet,  
Labor supremus ruris. ergo, ne occupet  
Pluviale fruges sidus, effusae ruunt 135  
Portis catervae; plaustra concutiunt vias,  
Nudantur opibus agri et hominum copia  
Late nigrescunt. quale formicas opus  
Ruri fatigat, grana cum caecis cavis  
Praemorsa condunt, improbae famis metu, 140  
Parvoque nigra calle glomeratur manus.  
Domus relictas, vasta passim compita,  
Raras videbis pube cum tenera nurus,  
Imbelle seculum; obsident agros viri.  
Nunc, nunc agendi tempus, aut nunquam, meat; 145  
Nunc, urbe vacua, casibus regnum patet.  
Dum plebs legit frumenta, tu rapidam quoque  
Distringe falcem: cana te vocat seges.
- Tar. At si redibunt, arva qui spicis levant?
- Tul. Exclude vanos corde sollicito metus. 150  
Obstrepere coeptis, ferre perfecta assolet  
Instabile vulgus. acta cum scierit redux,  
Labore fessum, rebus attonitum novis,  
Obmurmurabit pariter atque serviet;

	Et, quale repperit, iugum accipiet gemens.	155
	Saltem nocivas rumpat industria moras	
	Ac muniatur viribus saevis opus.	
	Primi laboris cuncta successus trahit.	
Tar.	Nemo relictus, qui retundat impetum?	
Tul.	Si vis vir esse, nemo; multi, si paves.	160
	Assueta ruri corpora ecquis nesciat	
	Anteire cunctos robore et ferocia?	
	Ea nunc removit quippe campestris labor.	
	Reliqui, manus spernenda, pauci, desides,	
	Subitis paventes, dissolutis viribus,	165
	Belloque medii aut laetiores turbidis	
	Ac dona vel promissa recolentes tua,	
	Servant penates aut in his sunt partibus.	
	Hos tu tremiscis? Hercule satus scilicet.	
Tar.	Non mobilis, ne finge, mens trepidat mihi.	170
	Stat firma pectore masculino fiducia	
	Audaxque virtus. sentiet iam Tullius,	
	Obscura cuius scepra funditus ruam	
	Et rapta rapiam: repetet auctorem malum.	
	Iam, iam probabo fortis Alcidae genus;	175
	Non monstra Lernae aut hispidum Erymanthi suem	
	Timidamque cervam, Maenali gravem iugis,	
	Sed belluam feram satis, populum domans	
	Regnique molem, quam tulit nimium deus,	
	Eurystheo famulatus et turpi colo.	180
	At non ruebat impetu caeco Hercules.	
	Violente quisquis fertur ad solium gradu,	
	Omnes volutet mente casus provida	
	Et spes metusque; quicquid incurrere potest,	
	Instare credat. libret et vires suas,	185
	Priusquam adhibeat et velit regno frui.	
Tul.	Quid ergo deficit? cessit aut nobis studet	
	Ferus ille populus; servit imperiis tuis,	
	Quemcunque Priscus genitor obstrinxit dato	
	Patricio honore, nostra vel facundia.	190
	Ad hoc, clientum stipat ac munit latus	
	Examen ingens, pulcra clavis imperi.	
	Rex ipse - nam pudet parentem dicere -	
	Vernile fatua mente confessus genus,	
	Laxans amicis, hostibus nuper, sinum	195
	Et blandienti commodans aurem dolo,	
	Fatis et armis praebet intectum latus.	
	Quid verba fundo? prona cernis omnia;	
	Et sumere times iam parata, semivir?	

	Agnosce tandem tempus ac vires tuas.	200
	Depone Aruntem: spiritus Prisci gere.	
Tar.	Quis inquietat percitam mentem furor? Aut quid ruenti calcar addis, impotens?	
	Non turpis altos deiicit animos timor: Praesidia regno, fulcra domui quaerimus.	205
	Nutare sceptrum, parta chalybe, quis neget?	
Tul.	Non haec sibi consilia tempus flagitat. Quae repperit vis regna, vis tuebitur. Cetera docebit, cuncta quae docet, dies.	
	Nunc exseratur brachium, armetur latus.	210
	Famulus clientes, praeco consilium vocet. Novo pateat augusta domino curia Forumque septum milite; excludat senem. Decus petatur regium vel sanguine.	

Tarquinius, Servus

Tar.	O qui mearum solus es rerum sciens	215
	Erisque consors, rege Tarquinio: vola, Arcesse iuvenes, plena Martis pectora, In verba quotquot nostra iuratos tenes; Venisse quippe Tullio summam diem, Quae vi doloque insessa regna vindicet	220
	Natique serva solvat ingenuos metu Ac laetioris saeculi textum inchoet, Quali beavit Ausonas rex falcifer. Dum transferendis quisque segetibus vacet,	225
	Securus aulae, totus incumbens cibo - Praemolle tempus arduis conatibus -, Ad me relictis dirigant rebus gradum: Properent, ruant. tamen viarum proderit Amare tenebras atque flexus, proderit	230
	Nimum propinqui regis oculos fallere Postico; et arma strenui secum ferant, Sed quae recondat veste praetensa dolus. Instare pugnam, tanta si virtus seni; At non periculum, quando nos iuuet Ceres Praesensque cieat ausa Fortunae favor.	235
Ser.	Miscere caussae numen absistas deum. Dii reclamant.	
Tar.	tu quoque ad vulgus fidem Animumque flectis?	
Ser.	est prior animus mihi; Quantumque constat veritas, tantum fides.	

	Domino timentem, perfidum quisquam vocat?	240
	Adversa, crede, est aura Fortunae tibi.	
Tar.	Proloquere subito, quis creat menti timor Sanctos furores?	
Ser.	id quod hesterna die Oculos stupentes subiit.	
Tar.	anfractus petis?	
Ser.	Repens viarum strata complebat sonus Cursusque vulgi. ego, ut ante limen constiti, Caussam requiro. nescio quis tum mihi, 'Ardet Numanus', inquit ac praetervolat. Alius, Virilis templa Fortunae, sita Tybridis ad oram, vertere in fumos, fide Meliore iactat.	245 250
Tar.	Tullii malle domum.	
Ser.	Sperno priorem, ravior ad divae sacrum Turbaeque mistus ac stupens numero virum, Queis nunc penitus, amore campi, moenia Exhausta rebar. cerno surgentis procul Atrum volumen fumi et umbrantis diem Tantoque fusi latius, quanto minus Distabat astris. inde torrens igneus, Subito refulgens, Cynthii praestat vicem, Crepitante flamma. raucus insequitur fragor Lapsusque tecti, fulcra postquam ilignea, Postquam trabes omnemque partem obnoxiam Infesta fluxum solvit in cinerem lues. Operit deamque aramque regumque statuas Ardens ruina. dextra pars tecti iacet Pascitque flammam; laeva pilis stantibus Adhuc recumbit, mole declivi minax, Et, peste quamvis careat, haud caret metu. Cedit ruinae vulgus ac, membris cavens, In sua redit vestigia; neque exaestuans Intus minore quam trabes incendio, Vncos tenaces, quicquid occurrit, trahit Pernixque plenis flumen urnis admovet, Clamore magno. laedit haud paucos furor Studio tuendi atque explicat malum malo.	255 260 265 270 275
Tar.	Et quis profanas intulit sacris faces?	
Ser.	Id scire cunctis ardor est, nulli sciunt.	
Tar.	Amplector omen. sedit in cineres opus, Quod condidit simulata pietas Tullii, Hausitque regis ligneos vultus vapor.	280
Ser.	Non hausit. avidis namque subtracto ignibus Tonante tecto, vicit ut Vestam liquor	

	Nudusque olenti stridit in fumo cinis Et omne patuit aedis arcanum sacrae Flammaeque crimen, solus haud gessit focus Suetas favillas. vultus est idem omnibus, Et ipsa, munus grande, procubuit sibi Seseque in aede diva quaesivit sua.	285
Tar.	O numen ingens, praeda quod flammis fuit!	
Ser.	In se ruebant signa regum evanida, Ab Romulo usque patre, praeter Tullium. Is - quale monstrum? - superat unus omnibus Et, ceu perenni ductus e saxo foret, Triumphat in se frigidus ignes, mali Communis expers. nusquam inhaerentis nota Odorve flammae, statque mortali amplior Nitetque melius frontis auratae decus, Quam nituit ante. solus e flamma viro Lucis remansit ardor et vultus micans, Titanis instar. sic modesto fulgure Praesaga puero flamma lambebat caput, Signans coronae, vera si fama est, locum. Assuetus igni Tullius. tanto stupens Monstro deorum vulgus atque impos sui, Immensa vis hominum et subinde vastior, Salvere regem voce laetifica iubet, Diis approbatum, fata quem salvum velint. Sic esse raptos ex Achivis ignibus Troiae penates, Roma quos heres colat; Sic Ilio cessisse Mulciberum duci.	290 295 300 305 310
Tar.	Iovi secundum se quoque amplecti caput Suumque tali spiritum heroi et patri Prorsus dicare, rumpat ut generum dolor. Sacrilega lingua! sceleris auctorem doce, Regno futuro primus ut victima cadat.	315
Ser.	Auctore toto clamor hic sonuit grege. Instincta furere corda populi diceres. Et iuvenis aliquis, tegmine insignis lupae Cunctisque maior, addidit verbum grave: 'Manet ac perenne rex manebit inclytus. Non finiet conata iuvenis arrogans, In purpura nec ultimum explebit diem.' Irem et referrem triste domino oraculum. Simul his reliquit visa, nulli cognitus.	320
Tar.	Quae tale virus non timuit effundere Echidna tetra, pestilens, Orco edita? Quae mihi Celaeno tale discrimen canit?	325

	Sed voce sera. nam sedet valida manu Asserere regnum, rumpat ut socerum dolor.	
Ser.	Obstat superius numen.	
Tar.	Acheronti quoque	330
	Numen suum est: hoc coepta perficiam duce.	
Ser.	Sequere supernos, inferos deos time.	
Tar.	Ostende superos: regna monstrabo tibi.	
Ser.	Virtus deorum cernitur, dii latent.	
Tar.	Infringit altos spiritus divum metus.	335
Ser.	Si spernis illos, dicta vulgi respice.	
Tar.	Negligere famam, prima lex dominantibus.	
Ser.	Neglecta virtus ipsa, cum fama iacet.	
Tar.	Haec una virtus principis, potentia.	
Ser.	Si dicta temnis, impetus vulgi time.	340
Tar.	Nostros pavescat impetus vulgus, iube.	
Ser.	At, rege functo, mox procul discrimine Rex esse poteris.	
Tar.	desides sic imperant. Genus scelestum! Pergit in nos invehi? Despicere regna contumax pergit mea?	345
	Istine demens consecrat vitam Caco, Qui nostra, custos fidus, avertit bona, Plebeia ut actis censibus premeret bona? Tantusne numerus, talis est ferocitas?	
	Ostenta nil me commovent inania;	350
	Hoc, hoc remordet pectus, hoc iras ciet, Quanto piandas mox reorum sanguine? Quid ergo? praestat sistere an praestat gradi? Extrahere paullum facinus an praevertere?	
	Hoc animus, illud imperat necessitas.	355
	Sociare mens est consilia cum coniuge. Etsi furorem concipiet animo gravem, Quid facto opus sit, Navio melius dabit. Illi reperta consilia, credam mea.	

## Chorus

Cho.	Statuet per nos, quod quisque volet.	360
	Orbem non ex semet genitum	
	Nec brutum destitui mente,	
	Sed perpetua ratione regi,	
	Quae stellas accenderit aethere,	
	Quae liquidas effuderit undas,	365
	Omne genus viventum invenerit,	
	Sustineat terram, rotet axem,	
	Tenebris alternet roseum iubar,	
	Annum certis vicibus temperet,	
	Nunc spicis laetum, modo floribus,	370
	Quae iusta res hominum lance	
	Pendat, nihil occultum patiens,	
	Quae regum observet fastigia	
	Ac iustitiam laude remuneret,	
	Loquitur vel prodigium praesens.	375
	Ecce, elemento cincta vorace	
	Lignea regis imago Tullii,	
	Omnibus hinc atque hinc exustis,	
	Spernit flammae sola potentiam	
	Et de fomite fit dura silex,	380
	Retroactis naturae legibus.	
	Scilicet imperium mite probant	
	Et parcunt moribus innocuis,	
	Quaeque est ipsa ignis, virtuti	
	Et mansuri lumina decoris	385
	Spondent sic merito fata duci,	
	Perpete cum vita coelestium.	
	Salve, non iam dubium germen	
	Divi, qui flammam regit arte	
	Et summo fabricat tela Iovi,	390
	Quem regali vidit in ara	
	Ocrisia parens et generosis	
	Candida concepit visceribus.	
	Agnoscite sideream stirpem,	
	Qui genus obicitis probrosum,	395
	Tracta in crimen sorte parentis.	
	Non sic odere dii Romam:	
	Ipsorum progenies imperat.	

## Actus tertius

Tullia, Tarquinius

- Tul. Sat magna monstra. coelites vulgi palam  
Induere partes, pluribus signis liquet. 400  
Iam vulgus ipsum - pro nefandam audaciam!  
Quis corda plebis vilia intravit furor?  
Infausta flamma, a fonte flammeo Stygis  
Accensa, quae fanum suo cum numine  
Haud sic perussit ut medullas civium. 405  
Tam foeda vero dicta, tam claras minas  
Civili ut animo perferam? non perferam.  
Quicquid sceleris, astutiae, violentiae,  
Mali, furoris aut Erebus alit sacer  
Aut mens profunda Tulliae iam non suae, 410  
Nunc prodeat. stat fata vi perrumpere;  
Idemque reddat dominam et ultricem labor.  
Etrusca Tanaquil, quicquid optavit, tulit  
Summumque rerum valuit arbitrium sui  
Efficere iuris, placida dans ordine viro 415  
Generoque regna: non valebit Tullia?  
Sic torpet animus? parcit Orcus? scilicet  
Portenta prohibent: non flagravit Tullius.  
Servatur hosti; aedem perisse nunc sat est:  
Mox ipse facie planget allisa solum. 420  
At vis et ardor plebis infensae vetat.  
Plebine Prisci cedere et neptem et nurum?  
Invita cedam. vincat armatus furor.  
Abrumpat haec cum luce mihi ferrum mala.
- Tar. Ne pasce tantum pectore oestrum, femina. 425  
Viam salutis excitae curae dabunt.  
Sed ecce generis patricii decus, Titum.  
Quos properus affert ore confuso metus?

Tullia, Tarquinius, Titus

- Tit. Egregie iuvenis, fortis Alcidae genus,  
Quem rebus arctis fata dant solatium 430  
Regemque poscunt: siqua te Patrum tenet  
iam nunc tuorum cura, si constas tibi,



- Succurre trepidis; parturit quod regia  
Romana monstrum, laude gentili doma.
- Tar. Quae monstra nobis, ede, nascuntur nova? 435
- Tit. Est fama constans, crebra, vero proxima  
Et, quod putandum caput, ab aula se ferens,  
Hoc agere regem, hoc mente moliri anxia,  
Ab se potestas omnis in vulgus ut eat  
Et ipse fiat populus et populus graves 440  
Capiat habenas. scepra, fasces, purpuram,  
Ebur curule sordidis pedibus terat;  
Arvis omissis, habitet esuriens foro.  
Inane nomen Ordo sit, quem conditor  
Fundavit urbis: imperet Patribus cliens, 445  
Omnia noventur, triste formetur chaos.  
In id vocari buccinae rauco sono  
Cunctos Quirites velle; nec pati moras,  
Praerupta ne quis orsa disturbet dolus.  
Quo iure hoc audet? talis est probri capax 450  
Regale pectus?
- Tul. heic quoque est similis sui.  
Pridem soluta culminis vi regii  
Legumque foede subdita imperio novo  
Positisque regni in parte servitiis quoque,  
Nunc et residua compar ad vulgus cadunt. 455
- Tit. Aeterna secli macula! Numitoris nepos  
Indulsit aliquid iuris agrestum ordini.  
Leges vocati vel magistratus dabant.  
At non ferebant criminum se iudices,  
Nedum gravarent regium nomen suo. 460
- Tar. Quaesita facile regna, facile proiicit.  
Nunc astra terrae, terra se misceat aquis;  
Orci patescat, pace rescissa, domus  
Atrumque mittat, Hercule ut vivo, canem  
Terrasque monstris impleat Titaniis. 465  
Etiam in futurum memet arceri sinam  
Spe regni? adorem sordidos vulgi pedes?  
Aut cernet ullus petere Tarquinium forum  
Plebis vocatu? stiva pro sceptris reget  
Arces paternas? ante mutet Albula 470  
Cursus in ortum, reddita fonti vice;  
Ante haec revulsa brachio cadat manus.  
Nunc tempus est, proterviae sisti modum  
Oculosque tolli contra.
- Tul. inhumanum patrem!  
Si spernitur frater maritae et si gener, 475  
Tot vincla iuris et suum cur sanguinem

	Prodit? paternis cur bonis soboles caret? Quas tam feroces tale ius gentes regit? Hyrcana tigris, quo potest, catulos modo Curat fovetque; dividit praedam suis	480
	Gaetula gemitu tesqua concutiens lea. Quis vidit unquam, fando quis didicit, rudi Subiecta populo sceptris, quae ferre abnuat Totiensque reddat - Tullio siqua est fides -, Et imperare sponte adactum regia?	485
	Quis non tuetur lividi cordis notas? Postquam resedit stolidus annis impetus Et se minorem mens videt regno, pius, En, iste genitor, sceptris ne tradat suis, Populo remittit; populus est heres patri, Tanquam sepulta stirpe pridem regia.	490
Tit.	Sed non sepultam merita vindicta arguet. Si demorari, fateor, indignum nefas Contraque regem stare pro sceptris placet, Proni sequemur, signa quo rapitis; iube,	495
	Magnanime ductor: senties ipsum minus Iam posse socerum. factus est voti reus; Sed et gener sit. promptius regnabimur A iuvene claro, plebe quam vili, Patres, Vbi, quot homines, tot miser dominos feras.	500
Tar.	Dabis, remota fraude, pro cunctis fidem?	
Tit.	Per sacra regni, virginis Vestae focum Vigilemque flammam perque sociam Pallada, Patremque Romuli patremque Romulum, Qui stare regno iussit urbis gloriam,	505
	Tuumque - sic nam docuit Euander - genus Et ceteros, per quos pium est, patrios deos, Adiuvo, caecum abesse consilio dolum; Spondeoque, culpam quam libet parvam abfore. Scis ipse, Luci, Tullii nunquam ambitum Patres probasse. leniit si quos timor Aut molle frenum et Ordinis salvum decus, Nunc, crede, cunctos altior vertit metus; Cuncti remedium voce concordi expetunt.	510
Tul.	Quin ergo ovantes ire properamus, sacri Quo lex Senatus, alia fata quo vocant. Pridem decorum, nunc iubet necessitas.	515

## Chorus

Cho.	Si, quod est verum, libeat fateri, Urbis et Romae didicisse sortem, Feminis debet mala multa nostris.	520
	Ne retexamus miseros labores, Quos tulit quondam proavis Lacaena, Iudici divum Paridi petita, Quosque bacchantis soboles Amatae, Quantus exhaustus cruor in Sabinis Nuptiis? cum se populi quaterni Vindices saevi gererent amoris, Ense dotantes thalamos et igne, Nata Tarpeio, grave pondus auri Dum fidem, hei, caecae labefactat, arcem	525 530
	Prodidit secum, reserans Sabinis Horridis urbem proprios per artus Et, quibus debent alii salutem, Sentiens in se clypeos atroces. Transeant nostrae lacrymae sororem,	535
	Hos sed oblitam titulos, Horati: Ambulantem quae patriae triumphum Voce dum scaeva gemituque turbat Et nimis carum miseratur hostem, Obtulit caussam sceleri cruento	540
	Fervidi fratris subitoque casu Obruit plaususque decusque Romae. Quo rapis fessas, Tanaquil superba, Artifex vafrae simulationis?	545
	Quam domi reges noviter creantem, Iure calcato populi Patrumque, Fecit exempli gravitas nocentem. Addit his sese comitem ducemque Temporis nostri furiale monstrum, Dedecus Romae, male nata regis	550
	Haud mali proles; nimis hoc acerbum Quae putat, scitis patriis subesse. Quae suos cernens violenta mores Inter amplexus placidae sororis, Ardet incesto iuvene et puellae	555
	Invidet tali genio maritum; Nec repugnantem sibi voce iungit Et fidem dando scelerata laedit. Tollitur coniux, iuvenis modestus, Tollitur coniux iuvenis superbe,	560

Oblitis ambo dapibus cicuta,  
 Inter eiusdem sacra laeta mensae,  
 Temporis sed non spatiis iisdem.  
 Quippe diversi generis venenum  
 Inditum mortis variavit horam 565  
 Et dolo caecas peperit latebras.  
 Ora subtraxit sceleri nefando  
 Siderum regina chorusque totus,  
 Nube se velans tenebrisque multis.  
 Ipsa, quod fecit, mulier stupebat; 570  
 Ac, velut morbo celeri perissent,  
 Ficta complorat pietas iacentes  
 Et minus fictam superat, furori,  
 Scenico voto necis, appropinquans.  
 Supplet hanc verus gemitus parentum: 575  
 Pro domo tota duo flent abunde,  
 Ampliat cladis geminae dolorem  
 Inclytae stirpi sociata virtus.  
 Sic Aruns postquam cecidit piaeque  
 Tulliae laudum scelerata merces 580  
 Obtigit, laeti vidui, repente  
 Subdoli luctus specie remota,  
 Noxios iungunt thalamos in unum.  
 Improbat factum male visa cornix  
 Et deum maestae facies cruenti 585  
 Imbre sudoris pecudumque fibrae  
 Et patris fletus; piceusque tedas  
 Fumus orbavit radiis iugales.  
 Tetra sed spernens monitus deorum  
 Gaudet incepto mulier peracto, 590  
 Nec scelus duplex satiat furentem.  
 Et patris vivax nimium senectus  
 Restat, optato mora longa regno;  
 Et patrem regno cupit amovere  
 Atque funestis agitata Diris 595  
 Dira fit porro iuveni sodali,  
 Noctis et monstris minuit laborem.  
 Optat hanc Pluto similis maritam,  
 Optat hanc unam sociam Megaera;  
 Extimescendus timet hanc Avernus. 600  
 Quae, nisi prudens lateri cavebis,  
 Vulnus imponet tibi grande, Roma,  
 Vulnus ad vivum penetrans, acerbum,  
 Quod trahat late pluviam rubentem,  
 Quod ferat finemque odiumque regno, 605  
 Per tot intactum viguit quod annos,

Ignibus Vestæ clypeisque sacris,  
Martis et cultu geminique Iani  
Et tuo, Tarpeie pater, secundo  
Numine tutum.

## Actus quartus

Tarquinius

Tar. Adeste, iuvenes: quos videtis, ilicet  
Levate fasces cum feris securibus;  
Dein ora regis Tarquini praecedite.  
Tu sceptrum tende, figat aquila in hac manu  
Eburna nidum. tu coronam vertici 615  
Magis merentis. haec parens insignia  
Nato reliquit, Tusciae reges patri.  
Quid hoc? virilis corporis tutela ubi est?  
Ensis feratur, occulat bellum toga.  
Non occulat: colore sanguineo palam. 620  
Minetur illis, arma qui contra ferent;  
Rursus, quietis candido pacem annuat.  
Sed vesper oritur. perge, praecipita moras.  
Hic, hic dabit, quod impius praedo negat.  
Non sceptrum vulgi pollui manibus sinam. 625  
Eamus, agite: magna pars iuvenum foro  
Nos iam opperitur; nec retardabit Patres  
Aetas: eidem principum tecta imminent.  
Inhiate nostris nutibus; quaeque amplius  
Iusso, citato pergite facessere gradu. 630  
Audete. vobis, o socii, regnum occupo.

Servius

Serv. Abite, comites: dulce secretum date.  
O massa, visu laeta, re tristissima,  
Corona: capiti te quis exoptet suo?  
O quot senile degravas pectus novis 635  
Subinde curis? gignis ex malo malum  
Fidemque sanctam submoves aula, domo.  
Nulli nocentem quisquis haud esse didicit  
Privatus, odit. ipse - quis credat? - gener,  
Quem puerum et orbem sustuli patris fide, 640  
Servavi ab hoste, Tarquinia misi in bona  
Tandemque generum filia sumsi addita;  
Is ausus a me - sic rependit gratiam -  
Populare donum, sceptrum, vi reposcere,  
Impulsus, eheu, pignoris furiis mei. 645

Tuli medelam: properus accivi Patres  
 Plebemque. rursus, quod recepi, reddidi;  
 Rursus recepi: rursus unanimi fide  
 Sanxit caduca scepra concilium mihi.  
 Et cum supinas tenderet supplex manus 650  
 Pacem petens Tarquinius, haud dubie dedi.  
 Quid enim? nefasto Marte congrededer meis?  
 Dirasne proprius sanguis imbueret manus?  
 Ecquod manebat regiam columen domum?  
 Adhuc minoris filiae patrius dolor 655  
 Meminit, tepentque Tulliae cineres meae.  
 Quo cedis, ah quo cedis, infelix decus?  
 Nunc tamen ad aures rumor allapsus meas  
 Restincta nondum mussat haec incendia  
 Et dulce pacis nomen obtendi dolo. 660  
 Credo? an recuso suspicax vulgus sequi?  
 O genitor infauste! o mali fati socer!  
 Sic me, deorum, respicis miserum, sator?  
 Qui non Etrusca pila, non Veientium  
 Tremui dolones, en, perhorresco meos. 665  
 Hoc est, quod abnui timendas nuptias  
 Noctemque diis abominatam. scilicet,  
 Non oris, animi forma contraxit pares,  
 Et utrisque regna cara, rex inamabilis.  
 Superbe iuvenis tuque natrix o mea, 670  
 Indigna tali stirpe, digna Gorgone,  
 Quae vos in odium sanguinis rabies agit?  
 Brevis parentem distinet tumulo mora;  
 Iamiam Charontis navigat lembus seni,  
 Et, quam vovetis, fata maturant diem. 675  
 Si propria regum more Romano foret  
 Publica potestas, si coiret sanguini,  
 Pridem dedissem rapere promptis liberis.  
 Nunc dominus idem, caussa qui regni, manet;  
 Redit hoc ad ortum iure reciproco suum. 680  
 Ipse, in secundum fata quem superis locum  
 Propulere aperta, quem coronavit pater  
 Liparaeus igni, iura dare populo tamen  
 Volui volenti. sed, quod unum ex omnibus  
 Absterret animum atque effodit luctu gravi, 685  
 Spectans frequenter indolem iuvenum trucem  
 Nec cive dignam, prava consulta, inquires,  
 Exulceratum pectus et praeceps malo,  
 Pro plebe timeo; misera me plebes movet  
 Et, prima ratio, patriae carae salus. 690  
 Nunc repeto, parvae non semel quod filiae

Altrix canebat, sortium callens anus:  
 Ne, quaeso, tantam pectore insolentiam  
 Assuesce, magno patriae et patri malo  
 Quondam futura: fulminat fastum deus. 695  
 Haec dum pavesco dumque fessus navita  
 Suspiro portum, nec, senectis viribus,  
 Hic axis humeris iam meis apte sedet,  
 Et abire regno meditor et deinceps novum  
 Beatioris figere imperii statum. 700  
 Efficere regem Roma me potuit favens:  
 Romam ego relata liberam reddam vice.  
 Hominum facessant iussa, leges imperent.  
 Florescat aequo iure gens acerrima  
 Nec sit Pelasgis oppidis fama minor. 705  
 Alius per undas regna, per flammam petat  
 Ac per suorum stragem ematque sanguine  
 Titulos inanes, cum tot aerumnis malis;  
 Me libera iuvabit in patria mori,  
 Primusque regum dicar aequalis status 710  
 Auctor fuisse, memet infracto, meis.  
 Dii, quos hic orbis sentit et votis vocat,  
 Queis nostra semper ara fumat hostiis,  
 Adeste coeptis. tuque praecipue, soror  
 Ingens Tonantis, mente placata fave; 715  
 Nec tu, Quirine, conditor regni, abnue.  
 Date, hoc modeste munus Aeneadae ferant,  
 In noxiosam ne excidat licentiam.  
 Id nunc, id unum restat, et tempus ratum  
 Populi vocandi, et verba res aequantia 720  
 Et ordinandi monita regiminis novi  
 Legesque stabiles mente cauta quaerere.  
 Haec tanta fecit caussa secreto locum.

Servius, Nuntius

Nun. Quis subito regis copiam lasso dabit?  
 Serv. Dat ipse. trepidus, fare, quid cursus petat. 725  
 Nun. Nimis est acerbum, ferre quod subigor, malum.  
 Serv. Ne parce: regi loqueris et sueto malis.  
 Nun. Rerum potitur filiae coniux tuae.  
 Globus patenti volitat armatus foro.  
 Ingens tumultus. cuncta formido gravis 730  
 Terrorque miscet. confluit matrum manus,  
 Domito pudore; quasque novitas admovet,  
 Timor repellit. tendit in contraria



Venientium avertentiumque turbidum  
 Agmen sibique pugnat obstans mutuo 735  
 Arcatque spatia; qualis, emoto mari  
 Sedibus ab imis, plura cum fluctus cient  
 Diversa colliduntque saevos flamina,  
 Increscit horror. ipse Tarquinius, tenens  
 Hostiliam vi publica, medius sacro 740  
 Solio resedit. implet hasta dexteram,  
 Insigne regum. frons superbifico gravis  
 Relucet auro. trabea procerum tegit  
 Virgata corpus. sic videndus undique,  
 Praeconis emta voce contractos Patres 745  
 Affatur, haud sonante privatum modo.  
 Grave dicta pondus sustinet dominantia.  
 Ardentis irae vultus haud celat notas  
 Omnesque formas et colores accipit,  
 Discorde motu. flamma luminibus micat, 750  
 Draconis instar, cum petitur aut quem petit.  
 Tremui tuendo meque mandavi fugae.  
 Serv. Tandem senile, fata, vicistis caput.  
 Haec Lucius? satisne certa disseris?  
 Sic in fide stat? cernis, o mundi arbiter? 755  
 An coeca vis dispergit axe fulmina,  
 Tibique frustra sternimus sacros toros?  
 Sed cunctor ire sceleris ad tragici locum?

### Tullia

Tul. Quenam procellae pectus exagitant tumens?  
 Et esse quiddam, facere quod restet, reor; 760  
 Et dubito, quid sit. fallor an crucior mora?  
 Annus videtur temporis lapsus brevis,  
 Quo vir facessit; nunc enim agnosco virum.  
 Parta est medela. currus haud segni manu  
 Frenetur: ipsa quadrupede quatiam forum 765  
 Et, socia maribus, transferam pendens opus,  
 Per quicquid obstat. dedecent sexum meum,  
 Quae destinat mens agere? reginam decent.  
 Sortis pudorem credo privatae bonum.  
 Nescio quid animus concipit, magnum tamen, 770  
 Immane, rarum, triste, dignum Tullia.  
 Quid istud? en, quas obiicit formas mihi  
 Phlegethontis ira? facibus armatae nigris  
 Erebi ministrae quo celere tendunt iter?  
 En, ut colubri saeva circum tempora 775

Inhorreant, me visa? ut ore sibilent?  
Quem torta flagra verberare excusso petunt?  
Aut cui trabales figere insistunt faces,  
Nostris secundis comparandas nuptiis?  
Quas deinde prae se pallidas umbras agunt? 780  
Iam nosco vultus: nosco maculosas genas  
Signis veneni. video iam scelus meum  
Poenasque sceleris. quid sororem tu quoque  
Soror inquietas? fumidis quid ignibus,  
Aruns, nocentem sequeris? haud culpam abnuo. 785  
Est aliqua, sed generosa, sed tanti fuit.  
Dominis futuris anima vestra haec vilior  
Cessit. quis unquam sine scelere factus potens?  
Iras nec ideo deprecor vestras. quid est?  
Tardatis etiam? perge vipereas, dea, 790  
Incutere plagas. quicquid est flammae, patens  
Accipiat animus. ipse me iuvat dolor,  
Ipsaeque crimen imperant poenae novum.  
Dulce est adhuc peccare; nihil in hoc reses,  
Placebo vobis, triste si petitis scelus. 795  
Quid sto, furens? quod sola sum, miserae nocet.  
Auferte me, famuli, et marito sistite.

## Chorus

Cho.	O quam varius cursus gyrat Nunquam stabiles res mortalium? Quam certo redeunt orbe vices Incertae? nemo sibi quicquam Spondeat indubium, nisi lethum. Ad casum lege rata mundi Omnia vergunt.	800
	Qui nunc regali stat culmine Et centenis populis imperat, Qui tumidis ferit aethera cristis, Ad manes mox decidit imos Et vix modico replet cinere Testam fatalem; sine famulis Petit aulam Ditis, communem Patriam, nulli iam metuendus.	805
	Alius contra surgit in altum Et, pravo dans vela ingenio, Gustat fallacis bona regni, Eadem passurus discrimina. Inhibe cursum, stirps Tarquinia. Nescis, quam fragile scandas locum. Nominis auctorem Priscum adspice. Regnum est molli flore fugacius, Quem purpurea laetum specie Inflexibilis mox vomis secat Aut iumentum proterit ungula.	810
	Non mutat sapientia Aut alte caput efferens Virtus aspera pectora Parcarum. nihil aestimant Aut spectant: tenebras colunt. Quis te laudibus anteit, Tulli? quis meritis prior? Tu curans populi gregem, Agros laetaque pascua Donasti miserae fami; Et tot nomina pauperum Solvisti, pretio dato, Et leges reduces ducum Auxisti veterum novis. Prolati quoque termini Et circumdata collibus Septenis sacra moenia	815
		820
		825
		830
		835
		840

Extendere tuum decus.  
Te, quicquid Latium incolit,  
In foedus coiit duce,  
Non Amphyctionum minus  
Claro consilio virum, 845  
Dianae statuens sacrum  
Vrbis perpetuae in sinu.  
Te census tabulae novae  
Et descriptus opum modus  
Et digesta Quiritium 850  
In partes varias cohors,  
Belli praesidium ac togae,  
Auctorem celebrant; tuis  
Vrbes Hesperiae ferae  
Armis perdomitae, iugum 855  
Portant. ter niveos agis  
Victor quadriiugos, quater  
Lustrum. tutus ab hostibus,  
Non tutus pavitas domi.  
Diris laurigerum caput 860  
Canosque insidiis petit  
Portentum grave, Tullia.  
Cunctis rector amabilis,  
Privignae furiis cadis.

## Actus quintus

Tarquinia, Servus Tarquini

- Tar. O facinus atrox! o diurni luminis 865  
Dator, reflecte, Phoebe, formosum caput;  
Absconde radios: instet igniferis aquis  
Saevum flagellum, purus ut subeas mare.  
Heu, quem tueri, care, te coniux premor?  
In hoc eras fecundus, ut ne deforet, 870  
Per quem cruentus viseres Ditis plagam?  
Proiecta tetrum ut ossa praeberent iter  
Natae furenti? iam quiescis, Tullia?  
Et hanc, precor, prosterne, tale quae nefas  
Gestavit utero. regis uxor quam cito 875  
Ab summo ad imum misera perveni gradum?  
Haec fata regni, his impotens potentia  
Tantum superbit. en, ut obtritus iacet  
Dominator ille gentis ingens Romulae!  
Plorate casus regios, Tiberinides; 880  
Lugete, Romanae nurus. quis mihi timor  
Vos subitus aufert? quove celeratis fugam?
- Ser. Infausta mater, iussa regis accipe.  
Adverte.
- Tar. regis iussa? regem nescio.  
Iacet nefanda caede rex, vivit latro. 885
- Ser. Germanus hoc te scire metuendus iubet:  
Efferre functi non potes corpus viri  
Aut flere raptum. siquid horum feceris ...
- Tar. Nunc misera videor. iusta non reddam viro?
- Ser. Moriere, funus alterum.
- Tar. hoc ipso incitas. 890  
Vitam minare, stulte.
- Ser. vis remorabitur.
- Tar. Quod fas ubique est?
- Ser. postulat regni quies.
- Tar. Quis vulneravit?
- Ser. filiam roga tuam.
- Tar. Superba iussa parricidae, ast congrua.  
Lucem marito rapuit: et bustum negat. 895
- Ser. Quis Romulum cremavit, ingentem virum?
- Tar. Hic sit peremti coniugis vindex, precor.
- Ser. Quid, si videres corpus ad poenas trahi?

Tar.	Omissa scelera trux tyrannus imputat? Nec scissa curru membra sat lacera autumat? Sed nosse totum candida serie malum Dirus cupido est. pande - nam potes - nefas. Non me, quod optas, usserit quicquam magis.	900
Ser.	Haud vana referam: proximus cladi steti Et pars mali, confiteor, hactenus fui, Spectare iussus. occupata curia, Tarquinius ut se Patribus Regem tulit, Ad arma verbis iura commendans sua, Rumore laevo concitatus Tullius, Paucis ministris, ut erat, in medium ruit Amens periculum. vix tetigerat limina Sedis sacratae, voce cum magna procul, 'Quid me intueri, iuvenis, urges, impie? Quid', inquit, 'agitas? quave fronte, Tullio Nondum sepulto, regiam sedem capis Gerisque nostrum vertice profano decus? Age, quis vocare concilia Patrum dedit? Quem nunc ego. quin sceptrum ponis ilicet Tradisque regi scelere violatum locum.' Pervasit omnem sermo torvus curiam Retulitque fractum vocis offensae sonum Laquear cavatum, grande. tunc silentio Quieta cuncta, voce media constitit Tarquinius ictus et, parumper haesitans, Mox tollit iras pariter ac conamine Maiore clamat, 'Quid tibi cum curia, Rex insitive? liberum Romae caput Regnare mos est: tu greges famulos pete, Corniculum et agrum. non virilis feminae Me intrusit astus; impleo patris locum Tandemque Prisci cerno maturus bona. Absiste nostris.' totus exarsit senex Dictis amaris; instar et musti novi, Cupidum quod aurae vis coercet lignea, Sanguis tumescit. saeva mallet vulnera. Et, vota quamvis gravior aetas deserit Lapsaeque vires, ore per medios ruens Minace, iuvenem conscius regni petit. At ille frendens excipit sese in pedes Tenditque contra et nobiles iactat toros, Herculea proles. tunc subito medium ligat, Arctoque inhaerens validus amplexu, rapit Sublimem et incassum laborantem eximi Defert ad altos curiae extremae gradus;	905 910 915 920 925 930 935 940

Qualis volucrem Martis, insignem iuba, 945  
 Gressus moventem, vultur inopinus levat  
 Pedibus obuncis et ferens escam volat.  
 Dedere late, qui favebant Tullio,  
 Donec propitiis usus est superis, fugam  
 Sibique, quicquid ille perpetitur, timent. 950  
 Absolvit audax iuvenis inceptum scelus  
 Iactatque pondus. simul et abiecta Patres  
 Cura revisit. volvitur rex in caput  
 Praeepsque crebro marmor incursu ferit;  
 Et lapsa prodit membra terrificus fragor. 955  
 Diu iacenti sensuum pars ut rediit  
 Et cuncta circum vasta deprendit miser,  
 Trahens ab imo corde gemitum, tollere  
 Semianime pugnat corpus et caput grave  
 Et, quot tuetur membra, tot plagas videt. 960  
 Superat tamen reptatque privatus domum,  
 Titubante gressu; multa nox oculos premit,  
 Signatque sanguis, scelere detecto, viam.  
 Spectat misertum vulgus ac silet metu:  
 Idem, quod animam voverat nuper seni. 965  
 Interea, ut alis rapidus advehitur Notus,  
 Hyemes ferens imbresque, non aliter citis  
 Bigis adest illata violens Tullia,  
 Ipsum et stupentem curia excitat virum  
 Ac prima, 'Salve, rex', ait, 'praestantior: 970  
 Dii coepta prosperent.' secuti haec omnia  
 Clamore fausto, quos in hoc subiecerat,  
 Nobisque amici, densus ac fortis globus;  
 Et omne, 'Dii te sospitent', forum sonat.  
 Oculos at ille fronte sanguineos rotat 975  
 Et, voce quamvis gaudet, occurrens probro -  
 Neque enim timebat ire propior femina -,  
 Descendit ultro et sistit effrenem impetum  
 Honoris umbra. memorat et crimen suum,  
 Saltum parentis. hunc vafra ut superstitem 980  
 Scitando didicit, 'Nil adhuc actum est', ait,  
 'Peiore nunquam summa res stetit loco.  
 Stygi propinquus qui fuit quique est metu,  
 Tibi vivit hostis. quid struere iam nunc putas?  
 Gliscit periculum. mitte dudum, qui auferant 985  
 Patrem ac timorem.' sic profata substitit,  
 Luctante veluti mente cum piaculo.  
 Tandemque, 'Pereat: triste, sed tutum scelus.'  
 Ergo ille iussit. sequimur hinc aliqui senem  
 Tardumque plagis concito assequimur gradu. 990

Est regio nota, Virbium spectans iugum,  
 Angusta fronte, Cypriam vulgus vocat:  
 In huius auditu, forte nil gravius timens,  
 Vix se ferebat cum manu parva. irruunt  
 Socii sinuque tela promunt abdita 995  
 Comitesque pellunt. ille, ceu fessus leo  
 Iaculis et annis, pectore adverso necem  
 Expectat, ultro cuspidi exsertans ferae;  
 Togaque velat mite purpurea caput.  
 Retulere iuvenes, fronte inspecta, gradum; 1000  
 Et mota canis, tamque placido lumine  
 Regalis oris, fluctuarunt brachia.  
 Adhortor ipse, vincla solum neckerent  
 Poenaeque spatium aut poenitentiae darent.  
 Prudentior sed Remulus, 'Hostis hic Patrum 1005  
 Evadat?', inquit. 'occubet, noster cruor  
 Ne iussa domini sanciat.' simul ferit  
 Et una utrumque perforat plaga latus.  
 Dum revocat ensem, saucium pariter trahit  
 Corpus; ruit, quam longus, in vulnus senex. 1010  
 Cani rubescunt sanguine, et sub corpore  
 Purpurea manans unda, crescit in lacum.  
 Vix temperare fletibus quivi impotens.  
 Adhuc supremos vir trahebat halitus,  
 Cum, monita praeceptis mariti, Tullia, 1015  
 Gravem tumultum linqueret, curru advolat,  
 Immane quiddam fronte spirans turbida.  
 Ad corpus ut perlata transversum est patris,  
 Haesere mulae; currus attonitus stetit.  
 Quatit stupentem gelidus aurigam tremor, 1020  
 Cum freno et ipsa labitur marcens manus.  
 At non ferocis stupuit animus feminae.  
 'Quae caussa nunc moratur', inquit, 'essedum?  
 Insta, sceleste: lora da iugalibus.'  
 Ostentat ille scelera, protenta manu. 1025  
 'En', inquit, 'ora patris, en tabum fluens.  
 Heu, quis nefandum facinus admisit latro?  
 Si vis, reflectam.' mota graviter Tullia,  
 Sedile rapuit ac ter aversi caput  
 Cecidit, alto vulnere. illacrymat tamen 1030  
 Auriga fato regio, spernit suum  
 Et, iussa quatiens flagra, biiugos increpat  
 Ictusque densat. surgit in celsos pedes  
 Vterque ferus et traicit saltu moram  
 Onusque raptat. triste tunc spectaculum 1035  
 Oritur: morantem spiritum excutiunt rotae



Finduntque sulco membra regis impio.  
 Dedere sonitus ossa, fracta pondere;  
 Oculosque et artus movit aut vis aut dolor.  
 Hinc secta cervix pendet, hinc rupti pedes. 1040  
 Reliquit essedum cruentas orbitas;  
 Partemque caedis atque monumentum tulit  
 Secum medullis sparsa patriis filia.  
 Hunc fata finem reppererunt Tullio.  
 Tar. Crudele factum nec lacessens lacrymas, 1045  
 Graves sed iras. i, satelles regie,  
 Responsa dominis certa praeclaris refer  
 Dirasque nostras. dii rependant talia  
 Benefacta vobis. quicquid haec vidit dies,  
 Annalium spectare faciat posteros 1050  
 Fides perennis; duret infamis furor,  
 Tragicumque promat aliquis in scenam malum.  
 At tu, scelestum coniugum par, occidas.  
 Exul relinquo patriae oppressae solum  
 Inopsque pereas. liberet Romam metu 1055  
 Severus ultor; nec nefasti seminis  
 Proles paterno regnet in solio sedens:  
 Eat sed ipsos longa poena in posteros,  
 Ipsumque nomen victor eiuret ferox,  
 Prositque populo gentis incestae furor. 1060  
 Et hoc tyranni tristis accedat malis:  
 Prisco negetur natus, et frater meus:  
 Dignum et tumore nomen accipiat suo.  
 At me, sepultis, ut licebit, ossibus,  
 Iuvabit animam coniugis pii sequi 1065  
 Et rupta fatis integrare vincula.  
 Quod abstulit vivae latro, exanimi dabit.  
 Aut, qui maritum potuit, et me deleat,  
 Dolens dolore nostro, et absolvat scelus;  
 Aut ipsa faciam. reperiet luctus viam, 1070  
 In meque dextram huic commodabit Cypselo.  
 Valete, nobis ultimum visi loci.

<Finis>

## Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegen die Erstausgabe von 1667 (Titel: 'Tragoedia, Tullia') und das achtseitige Belegtheft zur Regensburger Aufführung aus demselben Jahr (Titel: 'Tullia, Tragoedia, publice exhibita a studiosa juventute in Gymnasio Poëtico Ratisbonensi'). Das zweisprachige 'Argumentum' wurde nach Letzterem in die Edition der Tragödie übernommen, ebenso der um zusätzliche, nicht im Text genannte Darsteller erweiterte 'Syllabus Personarum' (nicht in der üblichen Reihenfolge ihres Auftritts: *Tyr., Tul., Tarquinius, Ser., Tit., Serv., Nun., Tarquinia*). Aus dem Text ergänzt wurden *Nuncius* und der nur im 3. Akt näher bezeichnete *Chorus Romanorum*. Durch eine Besetzungsliste mit konkreten Namen ist die für die damalige Aufführung benötigte Anzahl von Darstellern und Komparsen bezeugt (vgl. oben die Zahlen am rechten Rand; Frauenrollen waren selbstverständlich männlich besetzt). Dass für die Aufführung jeweils am Aktabschluss 'Interludia' eingeschoben waren, ist ebenso wie der Auftritt der Komparsen aus der Ausgabe selbst nicht ersichtlich.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet und für die deutsche Inhaltsangabe bis auf wenige, unten notierte Ausnahmen beibehalten. Für den lateinischen Text wurden Orthographie und Interpunktion jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U*. Groß geschrieben wurde: *Patres* (445, 499, 546, 627); klein dagegen: *dii* (72, 397, 974), *diva* (288), *item* (dt.A2), *numine* (404); groß belassen *Rex* (nur A und 907 als Zeichen der Emphase), *Socerum* (nur A). Die Nennung der Darsteller wurde geordnet, so vor 429 statt *TiTarTu*, 724 *NS*. Im 3. Akt wurde der Chor wie in den anderen Akten als *Chorus* statt *Chorus Romanorum* angekündigt.

- 23 *venis lues* statt *veniuesls*
- 85 *sinus* statt *sinns*
- 187 *defit* oder *desit*: unleserlich
- 204 *deicit* statt *dejicic*
- 238 *animumque* statt *auimumque*
- 428 *confuso* statt *confufo*
- 601 *Quae* statt *Qnae*
- 693 *patri* statt *patrl*
- 831 *gregem* statt *gregrem*
- 966 *alis* statt *aiis*
- 1041 *reliquit* statt *reliquii*
- 1045 *Tar.* statt *Tvl.*

'Komma' gestrichen vor *et, atque, -que, neque, nec, aut, vel, -ve, an, quam* u.ä.: A-A5 und dt. A-A5, 10, 29, 33, 38, 42, 45, 45, 47, 50, 57, 63, 71, 73, 73, 74, 78, 79, 79, 80, 86, 89, 91, 95, 104, 109, 110, 111, 112, 117, 118, 123, 127, 129, 132, 137, 156, 166, 166, 168, 171, 173, 176, 176, 178, 180, 183, 186, 187, 195, 212, 215, 220, 221, 234, 245, 252, 253, 256, 256, 260, 262, 264, 264, 265, 269, 272, 275, 282, 283, 284, 287, 292, 299, 304, 305, 311, 318, 320, 323, 353, 354, 361, 373, 379, 382, 384, 389, 392, 409, 409, 413, 430, 436, 439, 440, 452, 453, 458, 463, 464, 473, 475, 483, 487, 493, 502, 503, 504, 506, 511, 512, 532, 538, 541, 555, 557, 565, 572, 579, 584, 586, 586, 594, 607, 608, 608, 636, 641, 646, 659, 666, 670, 685, 686, 688, 689, 696, 699, 704, 706, 707, 720, 721, 727, 735, 735, 738, 748, 752, 761, 765, 782, 805, 808, 813, 822, 848, 849, 887, 904, 915, 918, 920, 924, 930, 936, 939, 940, 943, 947, 951, 953, 956, 959, 959, 961, 964, 969, 978, 983, 989, 995, 995, 1003, 1007, 1029, 1031, 1032, 1034, 1034, 1036, 1045, 1047, 1054, 1065

'Komma' gestrichen nach: A *praecipuis*, A2 *coniugum*, A2 *Collatino*, A2 *servi*, 19 *prece*, 25 *compareo*, 90 *Iovem*, 102 *loco*, 178 *populum*, 225 *cibo*, 271 *minore*, 271 *trabes*, 405 *perussit*, 442 *curule*, 507 *deos*, 565 *inditum*, 612 *fascas*, 638 *nocentem*, 658 *meas*, 722 *stabiles*, 738 *saevos*, 826 *virtus*, 840 *moenia*, 976 *probro*

'Komma' ergänzt: A *lib. IV*, dt.A2 *und*, 19, 27 *timet* -, 40 *en*, 53, 80, 87 *reddite*, 103, 105, 145 *nunc*, 175, 226, 258 *igneus*, 269 *ac*, 278, 341, 351, 376, 479, 479, 484, 488 *pius*, 489 *en*, 530 *fidem*, 530 *hei*, 624 *hic*, 645, 645, 663, 663, 663, 665 *en*, 666, 717 *date*, 766 *et*, 766 *opus*, 767, 784, 785, 814 *et*, 869, 869, 869, 898, 913, 913, 913, 924 *et*, 960 *et*, 965, 970 *salve*, 977, 1006 *evadat*, 1015, 1015, 1027, 1032 *et*

'Komma' statt 'Punkt': 6 *criminum*, 528, 535, 590, 772

'Komma' statt 'Doppelpunkt': 87 *Taenara*, 136, 229, 234, 252, 279, 286, 213, 214, 321, 404, 445, 446, 459, 517, 524, 576, 614, 619, 671 *Gorgone*, 703, 717 *ferant*, 792, 835, 877, 912, 981 *ait*, 1006 *occubet*, 1020

'Komma' statt 'Strichpunkt': 17, 114, 228, 285, 357, 438 *anxia*, 454, 494, 499 *patres*, 512, 581 *obtig*, 598, 677 *sanguini*, 688, 698, 845, 908, 957, 967

'Komma' statt 'Klammer': A5, 170, 170, 493, 493, 903, 903, 905, 905

'Punkt' gestrichen: 838 *termini*

'Punkt' ergänzt: 888 ..

'Punkt' statt 'Doppelpunkt': 185, 190, 192, 274, 286, 441, 443

'Punkt' statt 'Strichpunkt': 255, 714

'Strichpunkt' gestrichen: A2 *facinoris*, 15 *Remus*, 476 *iuris*

'Strichpunkt' statt 'Punkt': 411, 593, 627, 736, 944

'Strichpunkt' statt 'Doppelpunkt': A2 *proponit*, A2 *alludit*, A3 *impedimentis*, 24, 31, 76, 82, 136, 144, 145, 154, 184, 188, 198, 213, 218, 231, 270, 309, 350, 419, 433, 442, 448, 462, 471, 490, 495, 508, 513, 551, 556, 570, 587, 599, 612, 647, 673, 679, 689, 708, 715, 732, 763, 794, 810, 833, 853, 866, 880, 930, 933, 954, 962, 973, 998, 1000, 1010, 1019, 1038, 1041, 1051, 1056, 1069

'Strichpunkt' statt 'Komma': 105, 238

'Doppelpunkt' gestrichen: dt.A2 *ab*, 248 *inquit*, 949 *fugam*, 975 *rotat*

'Doppelpunkt' ergänzt: 611

'Ausrufezeichen' statt 'Punkt': 879

'Anführungszeichen' ergänzt: 248, 320ff., 913ff., 926ff., 970ff., 981ff., 988, 1005ff., 1023ff., 1026ff.

'Gedankenstrich' statt 'Punkt': 401

'Gedankenstriche' statt 'Klammern': A, dt.A, dt.A2, dt.A3, 18f., 25ff., 102f., 193, 225f., 292, 484, 506, 639, 643, 902, 976f.